

Caecus quippe est, qui supernae contemplationis lumen ignorat: qui praesentis vitae tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit. Hinc etenim prophetante Anna dicitur, pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent. Claudus vero est, qui quidem quo pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitae viam perfecte non valet tenere quam videt: quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudo non erigitur, quo desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc enim Paulus dicit: remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores foetoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Unde et in laude sponsae dicitur: nasus tuus sicut turris quae est in Libano: quia nimirum sancta Ecclesia quae ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, et ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli, qui dum aestimari hebetes nollunt, saepe se in quibusdam inquisitionibus plus quam necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Unde hic quoque subditur: vel grandi et torto naso. Nasus enim grandis et tortus, est discretionis subtilitas immoderata, quae dum plus quam decet excreverit, actionis suae rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet atque a bonis actibus funditus exors vacat: quatenus haec non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus vero est, quem terrenae sollicitudinis pondus deprimit, ne umquam ad superna respiciat: sed solis his quae in infimis calcantur, intendant. Qui et si quando aliquid ex bono patriae coelestis audierit, ad hoc nimirum perversae con-